



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 79. Podacathari, & Spratzii Cardinalium extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.  
A C. 1504.

§. LXXVIII.

*Stephani Walachiæ Palatini obitus.*

*Michov. lib. 4. c. 84.*  
*Cromer. l. 30.* Hoc item anno Stephanus Vaivoda, seu Walachiæ, & Moldaviæ Palatinus obiisse a nonnullis creditur. Is ingentem sibi existimationem conciliabat crebris victoriis, quibus Turcas, Matthiam Hungariæ, & Albertum Poloniæ Reges, ac nonnunquam Tartaros prostravit, fugavitque, hinc propter animi magnitudinem, ac rei militaris peritiam inter præstantissimos ævi sui Heroes merito numerandus est: tandem vero bellorum, quæ gessit, laboribus, annorum numero, & podagræ doloribus pene confectus, postremos vitæ suæ dies misere finivit, Græcorum schismati pertinaciter immortalis. Huic in Principatu successit Bogdanus filius, cognomine Luscus, ita dictus, eoquod uno oculo orbatus esset.

§. LXXIX.

*Podacathari, & Spratzii Cardinalium extrema.*

*Guic. l. 5.*  
*Garimbert. lib. 2.* Eundem annum Ludovicus Podacatharus, & Franciscus Spratzius Cardinales vitæ postremum habuerunt. Primus Nicosiæ in Græcia natus, ex Episcopo Caputaquensi ab Alexandro VI. Papa

Papa anno salutis millesimo quingentesimo Cardinalis tit. S. Agathæ renunciatus est, postquam ob egregias animi doctes, morumque integritatem Rector Academiae Patavinæ constitutus, præclaram probi viri famam non immerito tulisset: hic cum iter suum in Hispanias prosequeretur, Mediolani e vita migravit, & corpus ejus Romam delatum in Ecclesia S. Mariæ de populo cum præclara inscriptione tumulatum est. Alter erat Franciscus Spratzius natione Hispanus, Episcopus Legionensis, qui anno priori, adepto SS. Sergii & Bacchi titulo, Purpuratorum Collegio adscriptus fuit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1505.

§. LXXX.

*Constitutiones Julii II. de electione Pontificis, & Beneficiorum provisionibus.*

Cum in Romanorum Pontificum electiones non pauci abusus irrepsissent, eoquod nonnulli per vias minus legitimas, ac nonnunquam per pollicitationes officiorum, dignitatum, ac viciniam Beneficiorum Cardinalium suffragia non sine simoniæ vitio sibi conciliaissent, hinc Julius II., ut ejusmodi foeditati, cuius Sedes Apostolica vehementer infamabatur, & a qua forte nec ejus quoque electio penitus immunis erat, imposte-

*Ex Bullar. Jul. II. tom. I. Constit. 3. & 4. Spond. hoc ann. n. I. Raynald. n. 1 & 2.*

N n 4 rum